



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

V. De mutua Principis & subditi, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

Inquirere in populi sui peccata. 5. Corrigere subditos. 6. Superflua pauperibus largiri. 7. Iudicare causas Ecclesiasticas. 8. Approbare Confessarios, Concionatores.

23. *Quanam eius potestas?* Potest conferre indulgentiam quadraginta dierum, imponere censuras, in quibusdam irregularitatibus, & impedimentis matrimonij non dirimentibus dispensare, & alia plura gerere valet.

24. *Quidnam ei circa ordines, beneficia, & confirmationem conferendam præstandum?* Eos per se conferat, vel aliò mittat. Singulis annis chrisma conficiat, suis temporibus Sacramentum Confirmationis conferat, dignos ordinet cum sufficienti titulo. Porro beneficia solummodo dignis conferat, ad testamentorum denique executionem maxime in piis causis attendat.

C A P V T V.

De mutua Principis laici, & subditorum obligatione.

§. 1.
Obligatio
Vasalli
erga Prin-
cipem.

25. **A**d quidnam tenetur vasallus erga Principem? Debet vectigalia soluere: in necessariis tamen familiae defraudantes minime obligantur nisi in quibusdam casibus, Nouæ gabellæ debentur, si iustæ sint; si non petantur, seclusa fraude, non est obligatio soluendi. Soluentes poenam non tenentur ad gabellam: tenentur tamen, quando in conscientia eorum id relinqueretur. Potest quis non soluere, quando certò scitur, non impendi gabellam in rem ob quam imposta est. *In dubio de iustitia?* Præsumendum pro Principe, & etiam infideli soluenda.

§. 2.
Obligatio
Principis
erga Va-
sallum.

26. *In quibus autem Superiores laici erga subditos tenentur?* Cum virtutes laici Principis debeant esse Religio in Deum, Clementia, Liberalitas, iustitia, Fortitudo, Prudentia, Magnificencia, Magnanimitas: vitia autem: Cupido immodica regnandi, indictio belli iniusti, socordia in muniendis Regni arcibus, negligentia in viis publicis reparandis, non subuenire miserabilibus, non tollere consuetudines prauas, Exactionibus iniquis subditorum copias exhaurire, iniustas leges condere, subditum ad certum matrimonium cogere, vel in contracto impedire, suisque priuatis commodis studere: obligatur quidem, & proprietates Principis exercere, & vitia fugere, sub mortali quidem, aut veniali iuxta materiae grauitatem.

27. *Peccant*

27. Peccant ne Principes assumentes ineptos ad gubernationem? Si omnino inepti sint, peccant grauius, & ad restitutionem tenentur; si autem sint minus idonei, peccant quidem, sed minimè tenentur ad restitutionem.

28. Spectat ne ad Principes cura Sacrorum? Profectò ad ipsos patrociniùm spectat, cura ad Episcopos. At residentia Episcoporum? Non pertinet ad Principes, curare tamen possunt, vt ea seruetur.

29. Quid de officiorum venditione, aut naufragantium, bonis? Officia lucrosa vendere non semper licet: nec bona naufragantium applicare sibi licet, nisi derelicta sint.

CAPVT VI.

De mutua Magistri & discipuli obligatione.

30. Quidnam debent Magistro discipuli? Honorem, reuerentiam, obedientiam in pertinentibus ad bonos mores. Debent item vacare studiis; & pecuniam à parentibus traditam expendere iuxta magistrorum voluntatem, vel iuxta debitam dispensationem.

§. 1.
Obligatio Discipuli erga Magistrum.

31. Quid Magistri? Eorum peccata dissimulare non debent, eos in literis promoueant, & eorum curam in pertinentibus ad mores gerant. Plura sigillo sequenti, Interim Doctores tenentur ad multa. 1. Nihil docere contra fidem, aut bonos mores. 2. Discipulos ab aliis Doctoribus non auertere. 3. Diligenter studere, vt officio suo satisfaciant. 4. Stipendia æquo maiora non exigere. 5. Captui auditorum sese accommodare. Porro caueant ne Doctoratus insignia negent dignis, aut indignis conferant, aut malè moratos admittant scholasticos, aut eos permittant, cum possint reprimere, suffragia indigno impendere, aut pro suffragio iusto, aut iniusto pretium accipere.

§. 2.
Obligatio Magistri erga Discipulum.

CAPVT VII.

Praxis, circa materiam de parentum cultu ex Societatis IESV Doctoribus.

§. 1.
De parentum & filiorum obligatione.

32. Potest ne pater filiam cogere impuberem Monasterium intrare causa educationis; Potest, sicut cogere puerum